



## Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

## Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

## Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>



MARCVS ANTONIVS TIT. S. M. DE PACE S. R. E.  
PRESB. CARD. FRANCIOTTVS LVCEN.  
XXVIII. 9BRIS. MDCXXIII.

Hippolit. Leon. Pinx. Io. B. Bonacina Sculp. Io. Iacobus de Rubéis Formis Romæ P.S.P.



# IN FVNERE

EMINENTISS. PRINCIPIS

MARCI ANTONII

FRANCIOTTI


S. R. E. CARDINALIS

## ORATIO

Habita Romæ in Templo Domus professe  
SOCIETATIS IESV

A IOANNE LVCARO

Eiusdem Soc. Sacerdote.



ROMAE, Typis Ignatij de Lazaris. M.DC.LXVI.  
SUPERIORVM PERMISSV.

# UNITED STATES DEPARTMENT OF JUSTICE

INVESTIGATION OF THE ACTS OF VIOLENCE

PERPETRATED BY THE BLACK PANTHER PARTY

IN THE CITY OF NEW YORK

ON APRIL 15, 1968

AT NEW YORK, NEW YORK

BEFORE ME, the undersigned authority, on this day personally appeared \_\_\_\_\_

known to me to be the person whose name is subscribed to the foregoing

statement, and acknowledged to me that he executed the same for the purposes and

contents therein expressed.

Given under my hand and seal of office this \_\_\_\_\_ day of \_\_\_\_\_

1968.

\_\_\_\_\_  
Special Agent in Charge

UNITED STATES DEPARTMENT OF JUSTICE

NEW YORK OFFICE

V.  
REVERENDISSIMO PATRI  
IOANNI PAVLO  
O L I V A E  
SOCIETATIS IESV  
PRAEPOSITO GENERALI  
BARTHOLOMAEVS FRANCIOTTVS FEL.



Beneficijs in me, ac  
familiam meam a  
tua humanitate pro-  
fectis cumulum addidisti Re-  
uerendissime Pater, cum Fra-  
tris mei M. Antonij Cardina-

A 3 lis

## V I.

lis memoriam exornari præcipuo funere, atque eius laudes à Tibi subdito eloquentiæ Professore celebrari iussisti. Hoc honore nomini defuncti Cardinalis exhibito aliquam erga virum, Tui, quoad vixit amantissimum, & Societati, quam Sapientissimè regis, addictissimum grati animi significationem ostendere Tibi consilium fuit. Id quidem egregiè præstitisti, mortuo quoque gratiam cumulatissimè referens, quem viuum

## VII.

uum singulari obseruantia, & summis amoris officijs es prosequutus. Hoc insigni beneuolentiæ testimonio non solum te veracẽ Amicum ei Viro fuisse demonstrasti; cum verus amor sit, qui superest post mortem Amici, atque extincti famam mori non sinit; sed me insuper, ad meos arctioribus vinculis Tibi obstrinxisti. Aliquam igitur Patri tam beneuolo vicem relaturus, volui vt oratio, in laudem prædicti Car-



## VIII.

dinalis tuis auspicijs habita, in tuo quoque nomine apparet. Non est quod mireris, id, cuius Ipse auctor es, munus a me Tibi dicari. Hoc enim habent commune cum Deo præstantissimi viri, ut dignum illis donum offerri non possit, nisi ab ipsorum liberali splendore originem duxerit. Virum Te præstantissimum appellavi, non ut blandirer auribus religiosis, & assentationum illecebras respicientibus, sed ut publicæ

fa-

## I X.

famæ subscriberem . Nam prudentia , humanitate , Religione , & sacra eloquentia ad eum gloriæ verticem ascendisti , vt ætatis nostræ clarissimum decus ab omnibus habearis . Tuæ mentis amplitudinem , atque solertiam , & salubritatem magni consilij testantur tam Præsules , & Purpurati Regumque oratores , qui ad te , tanquam ad oraculum confluunt , quàm Societas Iesu , quæ inuitum , & reluctantiẽ ab otio erudito tra-

xit

## X.

xit ad supremi Moderato-  
ris laboriosa negotia. Exi-  
miæ verò Humanitatis argu-  
menta sunt maxima, quòd  
Principibus carus, ac vene-  
rabilis nihilominus ameris a  
populo; & assiduè verſatus  
inter tiaras, & purpuras, ple-  
beias tamen lacernas non fa-  
ſtidias; ſed obſcuros, & pau-  
peres, perinde vt nobiles, &  
opulentos ad tuæ benignita-  
tis complexum admittas. De  
Religione nihil attinet dice-  
re; hanc Tua quælibet ope-

ra

# XI.

ra, vultus, incessus, adeo referunt; ut qui Te videat, absolutum quoddam Religiosæ decentiæ simulacrum se videre arbitretur. De vi flexanima, & suavissima efficacitate lacræ, atque imperiosæ facundiæ, qua Cælestem linguæ Apostolicæ turbam, & Chrysoptomi sermonem aureum æmularis, non est meum iudicare: Populus est huius optimus Iudex. Hic ad Tuas conciones summa contentione semper  
ad-

## XII.

aduolauit, & aduolat; cum-  
que Te sæpissimè audierit, ad  
audiendum tamen ex inte-  
gro cupidissimè accedit nil  
magis metuens, quàm ne de-  
finas loqui. Quam enim  
laudem Crasso Tullius tri-  
buit, hæc tibi iure contingit;  
vt quoties dicis, nunquam  
dixisse meliùs videaris. Ad  
populare suffragium additur  
Vaticani Senatus; & Inno-  
centij X. atq; Alexandri VII.  
summorum Pontificum ap-  
probatio. Hi te dignissimum

ccii-

### XIII.

confluunt, aliqui sacro elo-  
quio Pastores Christianæ Rei-  
publicæ pasceres, & mode-  
raris Moderatoribus. Or-  
bis terrarum. Iam, quæ fue-  
rit in venerando conclavi  
Sacrorum Principum tua di-  
cendi ratio, satis indicant spi-  
rantes paginae, quibus pre-  
tiosos eloquentiæ latices con-  
signasti. Nihil in illis appa-  
ret lupinum, & languidum:  
omnia succo, & sanguine  
plena; omnia tanta dexte-  
ritate tractata; ut; cum vi-  
tia

## XIV.

tia iugulent, homines non offendant; & cum artificiosissima sint, artem occultent. Sed mei sermonis exilitas impar est ijs voluminibus commendandis, quæ Principum, & populorum plausus exceperit, posteritatis admiratio excipiet, atque immortalitas consecrabit. Tantum Divini Verbi Præconem, tam prudentem, & piæ lectissimæ Christi militiæ Ductorem, & Arbitrū, tam benignum, & affabilem

om-

# X V .

omnibus Patrem diu fospi-  
tent luperi , & votorum om-  
nium compotem faciant .



...  
...  
...  
...  
...

**Imprimatur,**

**Si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal.  
Apost.**


*M. Card. Ginettus Vicarius .*



**Imprimatur,**

**Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Palatij Apost.  
Mag.**

XVII.



# ORATIO.



**A**CERBVM hyeme proximè exacta Vaticano Senatui vulnus infixit, & luctuosum attulit Aulæ Romanæ moerorem Marci Antonij Cardinalis Franciotti mors prope modum improvisa. Clarissimum enim sacrae Purpuræ lumen extinxit, & animatam antiquæ probitatis effigiem examinavit eo quidem tempore, quo senis egregi

B

gi

## XVIII.

gij veneranda canities, & spectatissimā virtus Christianæ Reipublicæ maximè poterat, & consilio, & auctoritate prædesse. Sed humani generis fato contingit, vt immortalitate dignissima terrarum lumina in summo splendore deficiant, & in ipsa lucis vberitate subducantur, & occidant. Plenus annis occubuit, pleniorque magnis operibus Vir præstantissimus. Eius tamen desiderium huic vrbi relictum mors ætati tempestiua non mitigat. Nam quo diuturnior est ingentis viri conspectus, eo fit iactura flebilior; isque amittitur ægrius, & desideratur ardentius; in cuius veneratione, & amore longa homines consuetudo solidauit, & fixit. Amor hic inueteratus religiosissimo Principi extincto perpetuum in animis bonorum omnium monumentum crexit; eique debitum laudationis officium vox publicæ famæ persoluit. Cuius itaque laudes per omnium ora sparguntur, Eius memoriam Societas nostra multis nominibus tanto Viro deuincta ingrato silentio præterire non debet. Hanc ille suæ humanitatis, & beneuolentiæ complexu dignam existimans, ex animo dilexit, & coluit. Huic potissimum Domui largè munificus annua subsidia

## XIX.

dia quoad vixit suppeditavit: ex hac defectos habuit conscientiae moderatores; & no corpore distraheretur ab ijs, quibus animo coniunctissimus vixit, suos in hoc templo deponi cines voluit, Societati relinquens in ossibus mortuis pignus vivacissimi amoris. Exornandus igitur a nobis laudibus est qui nos beneficijs exornavit, atque is defuncto exhibendus est honos, qui sine modestiae vulnere vivo exhiberi non potuit. Quoniam verò nihil in hoc Viro translaticium fuit atque vsitatum, nihil non exactum ad trutinam purgatissimae rationis, & profectum ab animo excelso, ac virtutibus exaggerato; pronunciare non dubito, & me demonstraturum esse confido, Marcum Antonium Cardinalem Franciottum non solum mediocribus virtute viris, sed ijs etiam, qui sanctimoniam profitentur, & de moribus rectissime iudicant, se in omni vitae parte admirabilem praestitisse.

Splendor generis spectabiliorem facit & vitij deformitatem, & virtutis pulchritudinem. Marci Antonij, vel ideo commemoranda nobilitas est; quia nullum traxit ex Auorum imaginibus ostentationis, & arrogantiae fumum.

## X X .

mum. Nam clarissimi sanguinis generositas  
 fuit illi stimulus ad honestatem, & ad mores  
 egregios incitamentum. Patriam sortitus est  
 Lucam, celeberrimam, & antiquissimam He-  
 trurizæ ciuitatem, vbi Patriciorum filij, & li-  
 beri nascuntur, & Domini. Parentes habuit  
 tam generis vetustate, quàm virtutis laude  
 conspicuos Curtium Franciottum, & Claram  
 Balbanam. Vtriusque familiæ viri primis Rei-  
 publicæ magistratibus functi sunt, & fungun-  
 tur. Sed Franciottæ gentis nobilitati præro-  
 gatiuam adiungunt contractæ affinitates cum  
 Columnensibus, & Vrsinis, & coniunctio san-  
 guinis cum Pontificia stirpe. Nam Xistus  
 Quartus Pontifex Maximus Luchinam Ro-  
 boream fratris filiam Ioanni Francisco Fran-  
 ciotto in matrimonium collocauit: cuius con-  
 iugij clarissimum germen Galeottum Iulius  
 Secundus ~~ausculus~~ donauit Purpura, & Lucer-  
 fem Antistitem, atque insuper Romanæ Eccle-  
 siæ Procancellarium renunciauit. Illud etiam  
 ornatissimæ familiæ honorificum accidit, quòd  
 nobilissima Senarum ciuitas, quæ semper viro-  
 rum fortium, summorumque Pontificum, &  
 Sanctissimorum Heroum fecunda genitrix fuit,  
 qua

# X X I

qua tempestate summa libertatis, & potentie gloria fruebatur Francisco Franciotto suam nobilitatem contulerit, eumque inter Patricios, & Optimates adlectum ad supremum quoque Vexilliferi magistratum euekerit. Acceptam ab his Maioribus claritatem non magnifice iactauit verbis, sed magnis operibus auxit Marcus Antonius. Vix nutricis lacte depulsus auersum à puerilibus nugis animum, conuertit ad studia pietatis; iam tum incipiens oblectari cælestibus, & diuinis, cum per ætatem non satis poterat internoscere humana. Agrotatio, in qua cuiusque mores maximeprehenduntur, huius infantis ingenium, propensionemque detexit. Cum enim graui morbo correptus langueret in lectulo; quo tempore se solum, & sine arbitris animaduertit, collectis viribus, quas in tenero afflictoque corpusculo morbus fecerat reliquas, ecubili prorepsit, & propter spondam, vt erat seminudus positus humi genibus suauissima, coepit cum Deo miscere colloquia: neque à precibus antea destitit; quàm à genitrice, quæ superuenerat, & eo spectaculo attonita parumper substiterat, tremebundus, & frigidus

## X X II.

in lectulum reponeretur . Quis ægrotum infantem tam piam urbanitatem edocuit ? Si tantus amor cum Deo colloquendi puerile pectus inceserat , poterat iacenti corpore animum in cælum erigere , & ex ipso lectulo suum alloqui Conditorem : maior à languentibus reverentia non exigitur . Sed puerum diuino magis amore , quàm febris ignibus æstuantem puduit e molli culcita Deo supplicare . Putavit enim , situm illum corporis commodiorem precantem famulum dedecere , nec posse debitum supremo Principi obsequium à se rite deferri , nisi curuatis in terram genibus supplicis habitum , & gestum exprimeret . Ad sedulam pietatem , cuius in infantia tam egregium specimen dedit , miram docilitatem , verecundiam , & morum suauitatem addidit adolescens . Ingenio mansuetus , & facilis , voluptati tamen durus fuit , atque difficilis ; animumque tractabilem habuit , sed pudicitiam obstinatam . Factum adolescentis audite insignis pudoris victoria memorabile . Bononiæ nauabat operam liberalibus disciplinis : cumque Palladij laboris curas non otij blanda dulcedine , sed templorum cultu alijsque pietatis ope-

## XXII

operibus temperaret, seque à iuuenilibus oblectamenti prorsus alienum ostenderet; eam erat apud omnes adeptus opinionem integritatis, ut veluti simulacrum vitæ illibatæ, & virginici candoris exemplar omnium digito monstraretur. Non defuere crabrones, & fuci, qui purissima huius apis intactæ deprædare mella conarentur. Nam iuuenes quidam effrenatæ licentiæ aliena virtute suam improbitatem sugillari arbitantes, ut Franciotti pudorem in insidias, & vltimum discrimen adducerent, perditæ famæ, ac pellacis formæ mulierem in eius cubiculum immiserunt. In hoc periculo constitutus integerrimus adolescens oculos humi defixit: mox pudoris, & iracundiæ rubore perfusus, colapho procaci formiæ incusso, in vultu execrando fortem dexteram consecrauit; seque in fugam præcipiti gressu proripiens, incolumi, & victrici pudicitia spem insidiatorum elusit. Fuit sanè prodigio simile, iuuenem molliter enutritum, in blandiente fortuna, in ætate lubrica, & voluptati opportuna muliebris vultus illecebra non ad cupiditatem allectum fuisse, sed ad iracundiam prouocatum. Florem iuuentutis non minus



## X X I V.

admirabilem reddit iudicij maturitas, quàm castimonie candor : solet enim esse illius ætatis cruda viriditas, & quàm fertilis vehementium cupiditatum, tam sterilis salubrium consiliorum. Seniljs prudentie specimen dedit noster hic iuuenis, cum delectus à Bononiensi Legato ad componendas dissidentium scholasticorum contentiones atque discordias, miram in agendo dexteritate distractos in factiones animos ad concordiam reuocauit. Quanta fuit in eo adolescente solertia, quem sapientissimus Bononiæ Legatus Maphæus Barberinus totius postea Christianæ Reipublicæ Moderator muneri perquam arduo reducendæ ad officium, & beneuolentiam mutuam seditiosæ, ac refractariæ iuuenum multitudinis vnice idoneum existimauit; quique tanti Viri expectationi respondens, sedatis dissensionibus Bononiensi Gymnasio pacem restituit. Annis ergo florentibus maturos edidit sagacitatis, & industriæ fructus; totumque illud tempus viridioris ætatis traduxit ad eò laudabiliter, ut viri etiam prudentissimi, & grauissimi senes haberent multa, quæ in adolescente suspicerent, nulla, quæ adolescentiæ indulgerent.

Tam

## X X V.

Tam generosæ indolis, tamque adultæ virtutis luuenem suo veluti iure Roma poscebat. Ad hoc ille theatrum Orbis accessit literis, & moribus excultissimus: cumque apud Iohannem Baptistam Spadam celeberrimi nominis aduocatum, ac suum ciuem, & consanguineum familiarissimè diuersatus intimiora iuris arcana, & Romanæ Curie peritiam hausisset; à Paulo Quinto Summo Pontifice extremam iam principatus annum agente honorifico Protonotarij Apostolici gradu exornatus, & referendis vtriusque Signaturæ causis admotus illustria dedit suæ integritatis, & sapientiæ documenta. Sub Gregorio Quintodecimo claris aliquot Pontificiæ ditionis vrbibus præfuit Gubernator; in quarum administratione pulchrum adhibens humanitatis, & iustitiæ temperamentum, & publicæ quieti semper intentus, nec tam imperio præcipiens quàm exemplo summam apud Principem pariter, atque populos existimationem, & beneuolentiam est consecutus. Auxit eius honorem dignitatemque amplificauit Vrbanus Octauus, cui propter elegantiam morû fuit iam ab adolescentia gratosus. Ab hoc Pontifice est relatus inter

Apo-

## XXVI.

Apostolicæ Camerae Clericos, mox æmone Præfectus, post eiusdem Camerae creatus Auditor, ac tandem summo cum plausu populorum, & approbatione Principum in Purpuratorum Collegium cooptatus. Hæc speciosa munera non quæsiuit aulicis artibus, assentatione scilicet, & versutia quadam ingenij. Neque enim illum ambitio, aut auaritia gloriæ, sed parentum voluntas, & magnæ indolis celsitudo, atque etiam publicæ utilitatis cupiditas impulit ad honores. Quàm procul abfuerit ab omni ambitione argumentum est non exiguum, quòd nullis amicorum precibus adduci potuit, ut vacante Auditoris munere, gradum illum ad purpuram proximum, aut per se, aut per alios peteret. Stimulatus enim in primis à Præsule magnæ auctoritatis, sibi que additissimo, ut verbum aliquod apud Pontificem in rem suam interponeret; negavit, se quidquam prolocuturum: rogatusque, ut significatum Pontifici vellet, fore sibi gratum id munus; respondit, non ignorare Pontificem, à Præsulibus æquo animo accipi dignitatis incrementum: instante illo, ut saltem certiore faceret Principem, se habere in numerato pecu-

## XXVII.

caniam obtinendo ei muneri necessariam ; ne id quidem ignotum esse Principi subdidit. Hæc animi moderatio in Præsule pecunioso, & locuplete speciem habet admirandæ penitus novitatis. Honores non aucupari solerter, & ad eorum fastigia, si alius non pateat aditus, nolle obrepere per cuniculos, in aula rarum, & infrequens est. Tenere in honoribus modum, seque ad eos, ne honestis quidem artibus insinuare, sed expectare fortunam, multo infrequentius. Oblata opportunitate non uti ad acquirendum dignitatis gradum sibi maximè consentaneum, & exhibitam ad id potentium amicorum operam constantissimè repudiare, planè inusitatum, & novum. Sed Franciottus non ad aulæ consuetudinem suos mores accommodavit, sed ad perfectæ honestatis, & summæ decentiæ normam exegit. Eam porro vitæ rationem tenuit Præsul, quam postea in Purpurato suspeximus, hoc est integram, inculpata, laboribus, & curis addictam, à priuatis commodis abhorrentem, publicæ utilitati deuotam, frugalem, religiosam, ac diuino cultui emancipatam. In sublimioris tamen conditione fortunæ fuit eius vita patientior. Magis

## XXVII

gis enim humanis obiecta sunt oculis, quæ in edito, & eminenti loco sunt posita. Si dixerò, Cardinalem hunc probatissimum ita vixisse, vt reprehensione caruerit, nihilque admisisse, quod improbari taxariue potuerit; non videbor dixisse quidpiam vulgatum, & obuium. Atquæ eius vitæ diligentissimi exploratores, ijdemque viri integerrimi fateri non dubitant, nullum vitium, nullum impetum affectionis immodicæ, nullum dictum, aut factum, quod alicuius deformitatis, & noxæ colorem, aut vmbra habuerit, se in eo deprehendere potuisse. Quidni ergo, vel ob hanc vitæ innocentiam, admiratione dignissimus censeatur? At seruasse mores innoxios, & nullo in officio claudicasse, laus esset in aliis fortasse summa, & suprema, in hoc tamen est infima. Non vult laudari Franciottus, quòd caruerit vitiis, sed quòd virtutibus abundauerit, nec iis quidem adumbratis duntaxat, aut mediocribus, sed planè absolutis, & in heroico gradu consistentibus.

Insignem Viri prudentiam, & iustitiam singularem admirata sunt Concilia Purpuratorum, & Præsulum, quorum decem præcipuis & portio-

## X X I X.

tionibus consuetus intererat consultor, & iudex: alij verò pluribus identidem admouebatur. In his conuentibus, ad quos accedere solebat primus, tant eius consilium, quàm suffragium rebus summum semper est habitum. Erat enim adeo perspicax, vt in controuersijs etiam difficillimis statim rei summam attingeret; adeo verò sedata mentis purgatique iudicij, vt nunquam ex affectu, semper ex incorrupto animi sensu iudicaret. Non amicorum precibus utcumque importunis, non petitionibus Magnatum & Principum dimoueri à recta sententia potuit. Oratori cuiusdam regio pro re ad ipsius iudicium deferenda summo opere deprecanti, & quod nullam ab ipso prompti officij promissionem acciperet, aegrè ferenti respondit; se quidem in eius gratiam rem iterum atque iterum examinaturum; ceterum esse sibi deliberatum & fixum, æquiori parti causam adiudicare. Quod sentiebat, summa sinceritate ac libertate solebat exponere; nec tamen id pertinaciter tuebatur, quasi errare non posset. Quàm enim alienum à constantis viri gravitate ducebat facillè à suscepta opinione decedere, tam prudentiæ legibus consonum ad robustam nouæ rationis vim, & efficaciam

## X X X.

ciam mutare consilium. In expendendis causarum ponderibus, & momentis diligentissimus fuit. Earum acta nullius, adhibito auxilio ipse, per se improbo labore ac pertinaci studio recognoscebat. Nullam reiecit causam, quamvis innumeris vrgeretur; nec unquam ætatis molestias, aut temporis inopiam causatus subtraxit se oneribus publicis, vel audire quempiam distulit, vel ius alicui debitum decernere procrastinauit. Natiua igitur perspicacitas mentis, rerum peritia longo usu ac tempore comparata, in causis cognoscendis ac discutiendis labor assiduus, & cura intensissima, in eisdem expediendis miraceleritas, priuatae utilitatis & alienae gratiae in iudicando neglectus, amor æquitatis, & iustitiae summa tenacitas tantam illi auctoritatem & existimationem nominis conciliarunt, vt Purpuratos collegas ab eius opinione dissentire puduerit: vt inter Cardinales duos grauiter inuicem disidentes constitutus fuerit arbiter, & sequester: vt Innocentius X. Pontifex Maximus eiusdem suffragium prudens, rectum, meditatum, pium appellauerit; & eos, à quibus decreta conuentuum ad se deferebantur, interrogare consueuerit, quæ fuerit Franciotti sententia:

vt

# XXXI.

vt Alexander Septimus, quem nunc optimum & sapientissimum Principem venerantur, cum nescio quis in controuersia cum intimo Marci Antonij consanguineo Cardinalem hunc & numero iudicium excipi postularet, ignorare hominem dixerit, apud Franciottum iudicem locum amicitiae aut consanguinitati non esse: vt denique inter omnes cauidicos dictum hoc inuenerit, & uelut in prouerbum cesserit: Bonam habeto causam, & Franciottum elige iudicem. His prudentiae ac iustitiae dotibus accedebat admirabilis quaedam in rebus omnibus accuratio. Vir grauisimis occupationibus impeditus, & undique curis obsessus ita rem quamlibet pertractabat, vt illi vnice affixus, & nulli alteri deditus videretur; cum tamen res plurimas atque implicatissimas, & mentis vastitate comprehendere, & agendi alacritate feliciter explicaret. Ad Pontificij sacelli functiones, ad concilia Purpuratorum, ad quaecunque inuitabatur vel Academicorum Lycea, vel Templorum solemnia non solum accedebat frequens, sed praestituto tempore aderat, quasi omnino a negotijs, aut expeditus, aut vacuus. Quare Innocentius Pontifex aureos illi quingentos an-



## X X X I I .

annuæ pensionis hoc nomine attribuit, quod in rebus præsertim Ecclesiasticis singularem, diligentiam & sedulitatem ostenderet. Relucebat insuper in eius operibus singulis, in vultu etiam, & habitu gestuque corporis dignus Principe sacro grauitatis decor; qui ab improbis etiam atque impudentibus venerationem, & reuerentiam extorqueret. Iple eius aspectus alienos componebat motus; atque erat, quod ex hoc viro, vel tacente proficeres.

Morum grauitas, & seueritas coniungi solet cum austeritate quadam naturæ ad mansuetudinis & humanitatis officia parum procliu. Vnde Catones & Aristidas fuisse quidem graues & iustos accepimus, sed minimè mansuetos, & faciles. At cum ex electione mentis non ex ingenij duritie seueritas proficiscitur, facilitatem, & lenitudinem non excludit. Mites Marco Antonio mores indulgit natura; sed mitiores adhuc reddidit animi demissio generosa, & Christianæ humilitatis rarus in viro principe spiritus. Nullum vnquam elatioris animi signum ostendit. Nullum protulit verbum, quo aut se ipsum extollere, aut alios deprimere videretur. De nullo questus est vnquam. Nemini ad  
se

## XXXIII.

se aditum, nè pestilentiae quidem tempore interclusit. Neminem aut corripuit acrius, aut oblique perstrinxit. Fuit apud ipsum famulis clementissima seruitus: quorum errores, & mendas excusare, ac benignè interpretari solebat. Nec se laudari, nec alios carpi sustinuit, assentationum bláditijs, atque obtreccionum morsibus ex æquo inimicus. Inter colloquendum nullius dictis est refragatus; & si quis, quantumuis inferior dicentem interpellaret, aut eius vocibus contraria loqueretur, demisso vultu protinus acquiescebat. Magna sunt hæc mansuetudinis & moderationis exempla. Illa verò maiora & humanis viribus ardua, ipsis iracundiae causis excitari ad benignitatem, & pro acceptis iniuriis reddere beneficia. Mos erat huic visitatus eos potissimum amore complecti, & honoribus prosequi, à quibus offensionem, aut detrimentum aliquod accepisset. Nemo vindictæ cupidus & iracundus tantam contentionem & curam adhibuit, vt aduersarijs incommodaret, quantam hic, vt prodesset. Opportunitates omnes malè de se merentibus gratificandi sedulo inuestigabat: isque apud hunc plurimum valebat gratia, qui magnam, aut ipsi, aut ipsius domesticis vel consanguinis

C

fe-

## XXXIV.

fecisset iniuriam. Vnde nobilis quidam, qui eum grauiter læserat, admonitus, vt. in causa eius iudicio subiecta. contrarium sibi metueret, se pacato animo esse respondit, quia sciret offensam ei viro non esse stimulum ad vindictam, sed ad fauorem & beneficium.

Apud Principem tanta caritate, & mansuetudine præditum quam vim creditis habuisse, nexum cognationis, & sanguinis? Habuit profectò ad benevolentiam, & familiarem consuetudinem, maximam: ad eius animum profanis domesticorum negotijs implicandum, aut à serueritate iustitiæ deflectendum, aut aliquid ab eo extorquendum de prouentibus, & bonis Ecclesiæ, nullam. Dilexit propinquos; sed eorum affinitatibus, & rebus præsertim prosperis immiscere se noluit; sed nihil eis æquitati contrarium per affectum indulfit; sed ex pensionibus, & redditibus annuis largitus est nihil. Quin morti proximus, cum amplissimam à summo Pontifice facultatem haberet ecclesiastica vectigalia in quos vellet transferedi, ab amicis & primoribus etiam viris exorari non potuit, vt eorum saltem aliquam partem in Virum transferret sibi sanguine coniunctissimum, & propter sapientiam, vigorem consilii, magnitudi-

## X X X V.

finem animi, ac præclara in Romanam Ecclesiam merita omni præmio & remuneratione dignissimum. Meliorem tamen opibus aureis hereditatem reliquit propinquis, illustrium scilicet virtutum copiam, & præclare gestorum famam magna ex parte ad ipsorum gloriam redundantem. Quid ergo? Liberalitatem defuisse censimus, cui caritas & mansuetudo non defuit? Fieri non potest. concordēs inuicem, sunt hæc virtutes, & arctissimo societatis nexu iunguntur. Fuit in eos liberalis, quos non fortuna sublimitas, & retribuendi facultas; sed calamitas, & rerum inopia commendabat: in eos inquam, a quibus sperare nil potuit. Vt nam ea patefcerent munera, quibus ipse inopum mendicitatem, viduarum orbitatem, orfanorum solitudinem, ægrotantium languores, periclitantem virginum pudicitiam subleuauit. Sed, ne ullam humanæ gloriæ mercedem acciperet, occulta esse voluit suæ magnificentiæ dona, ratus, virtutem hanc instar coralii natuum colorem amittere, si lucem aspexerit. Non tamen ita occultari potuit liberalitas, vt per obductam modestiæ nubem radios aliquot ad nos non transmisserit. Sunt, qui compertum se habere assuerunt, aureorum triginta millia fuisse

## X. XXVI.

ab eo in pauperes distributa. Sed ut alia desint  
argumēta, maximū eius liberalitatis iudiciū est  
parsimonia. Frugalissimo Principi, qui ab omni  
supellectilis pompa, ab omni mensæ lauitia, sū-  
ptuosisque ferculis, & cōdimentis abstinuit modicosq;  
parabili cibo cōtentus, & aqua paucis vini guttis  
diluta sitim exinguere solitus; huic inquam tam  
parco, ac tam sobrio Principi necesse est, ut ex re-  
ditibus, quibus fuerat à largitate Pontificū satis in-  
structus, quotannis nō parū pecuniæ superfuerit.  
Hanc porro non donauit propinquis, aliisque fe-  
licibus, & opulentis: non conuertit ad alie mun-  
dæ dissoluendum, quia nulli quidpiam debuit;  
sed neque auarè seruauit, atque seposuit, quasi  
opes accumularet: cū totus Viri thesaurus post  
mortē eius repertus fuerint aurei sex & viginti,  
Pecuniam ergo residuā, & suo victui parcitate  
subtractam Eleemosynæ nomine indigentibus  
erogauit. Jam qui suatam liberaliter largie-  
batur, num aliena unquam optauit? Num pro-  
nus ad accipiendum fuit, ut procliuis ad dan-  
dum? Imò vero oblata sibi à pluribus dona con-  
stanti animo recusauit. Fuit enim muneribus  
inaccessus, non solum ijs, quibus posset labe-  
factari, & venalis fieri iustitia; nam hæc, ut in-  
digna, & reipublicæ perniciofa execrabatur; sed

iiis

# XXXVII

is etiam, que ab amicis per officium & humanitatem exhibita nullam eius integritati labem aspergere poterant. Millos ad se à religioso monachorum Antistite lectissimos complures libros ad numeris auctorem remisit. Monialibus quibusdam pro vestiaria pinnula subtilissimi operis, quam, nè virginum periret labor, rejicere non sustinuit, septuaginta nummos aureos maius dono pretium numerari ab œconomio iussit. Donatum sibi à sorore argenteum foculum suscepit quidem humaniter, sed per sygrapham transmisit alii pecuniato, que manus æquaret. A Fratris coniuge missa pretiosa cubiculi peristromata cum fortè conclavi accomodata conspiceret, locum ingredi noluit, donec parietibus amouerentur. Nec solum ab acceptione donorum, sed & ab omni lucro, quod ascitum, & suo muneri non affixum videri posset, semper abhorruit. Legatus Emilie nulli vnquam extrahendi frumenta facultatum indulxit, quamuis, & multorum precibus id rogaretur, & magnum inde compendium deriuari à se posse non ignoraret: cumque suorum aliquot decessorum exemplum sibi proponi à nonnullis audiret, post exhibitam eorum nomini, atque operibus reuerentiam

## XKXVII.

tiam, negabat, se in patriâ provinciam venire ;  
ut ageret mercatorem. Maluit igitur suis officio  
ciendo commodis nobilitum quorundam offensionem  
incurrere, quam alijs imperando suæ  
utilitati sentire. Commodiora non vacat in  
numeras lucrandi opportunitates ab illo neglectas ;  
eius etiam cunctationem, & demeritum  
in exigendis nominibus, atque ipsi debitis reditu  
um vestigalibus. Vetant nos in his longius  
immorari alia virtutum excellentium decora,  
quorum numero obtrivimus.

Animum à lucris nunquam allectum, muneribus  
semper immisctum allicere otij dulcedo,  
labores, & infortunia vincere non potuerunt.  
Tota huius purpurati Principis vita labor fuit  
irrequietus, & pertinax. Ad hunc deferrebantur  
causarum tricæ inextricabiles. ad hunc iuriconsulti,  
causidici, actores, rei, Præsules, cenobitæ,  
omnis denique ordinis & conditionis homines  
quotidie confluebant. huius curæ ac vigilantia  
magna ex parte inmixta erant ex ijs, quæ  
ad tribunal Ecclesiæ pertinebant, priuatorum  
& Principum, urbium & regnorum, totius  
Europæ, imò Mundi totius grauisima quæque  
negotia. His alijsque compluribus ingentium  
curarum oneribus, quibus impar fuisset multa  
vis

# X X X I X.

huiusmodi, hinc vir bono publico natus, non  
 deo par, sed superior extitit. Trahebat eius  
 alacritas à labombus incrementum & robur, igneo  
 rigori per similes, qui congestis sarmentorum,  
 aceruis non extinguitur, sed augetur. Nume-  
 rosa perlegere scriptorum volumina; expedire  
 & dirimere controuersias difficillimas; patere,  
 semper omnibus, & omnes patientissimè audi-  
 re, quotidianis fere cōuentibus interesse; & tamen  
 nihil ex consuetis pietatis operibus intermitte-  
 re sunt res inuicem dissociabiles, & quæ coniu-  
 gi vix possunt: coniunxit ille tamen, ac tot labo-  
 riosa munia felicissimè expleuit laboribus inde-  
 fessus. Cum Ecclesiæ Lucensi præesset Antistes  
 difficillima quæque sacri regiminis ministeria,  
 perse ipsum obibat. Non ergo Diocæsis amplif-  
 sine rebus & moribus cognoscendis vicariam  
 aliorum operam delegauit, sed ipse suum gre-  
 gem inuisitare, ipse incoerentium querelas audire,  
 atque inoperta calamitates abstergere voluit.  
 Non oppidorum distantia, non difficultas iti-  
 nerum, non locorum asperitas eius magnanimi-  
 tati moram obiecit. Per abrupta, per inuia Pa-  
 stor vigilantissimus quærebat sibi subditas oues;  
 & quò plurium annorum spatio nulli Antistites  
 penetrarunt; in confragosa montium iuga, in-  
 cau-



## X L.

cautes perpetua niue conspersas inuicti pectoris  
alacritatem perduxit omnes difficultatum obices  
cluctatam. Agere quàm pati fortia est fortasse,  
facilius viro magnanimo. Eorum enim, quæ  
agit, ipse auctor & arbiter est: eorum vero, quæ  
patitur, potestatem, & arbitrium habet fortuna.  
Magnum constantiæ documentum dedit Mar-  
cus Antonius, cum egit fortia; maius, cum fortia  
toleravit. Multa illi quidem dura & aspera  
contigerunt, quæ constantis etiam viri robur  
infringere, aut saltem inflectere potuissent. Is  
tamen adeo sibi constitit in omni fortuna; cala-  
mitatum procellis adeo non succubuit; ut eun-  
dem semper vitæ tenorem, eandem, & animi,  
& vultus hilaritatem retinuerit. Nullo euentu  
aduersæ fortis utcumque improvise visus est,  
aut faciem immutasse, aut ab opere incepto de-  
stitisse. Fortè precibus horarijs incumbenti tre-  
pidus nunciauit famulus, igne fortuito correptam  
esse vestium supellectilem. Eo nuncio ni-  
hil commotus, cum tantùm respondisset, accer-  
sendos esse, qui flammam extinguerent, preces  
prosecutus est in eodem oris habitu perseverans.  
Tres annos vitæ postremos egit in summis lan-  
guoribus corporis; nec propterea languidior  
animo contentionem virium in studio pietatis  
at-

# X L F

que administratione iustitiae relaxavit: Nul-  
lus dolor ab eo querelam, imò nè gemitum qui-  
dem extorsit. Acutissimis quatuordecim cal-  
culorum ictibus cruciatus (tot enim extracti  
sunt è visceribus mortui) cum toto corpore con-  
tremisceret, & sellae insidens brachialia fulci-  
menta ob doloris vehementiam fringeret mani-  
bus; erumpentibus ex oculis lachrymis, ridebat  
tamen; quasi suis cruciatibus plauderet, & inius-  
tas lachrymas risu spontaneo redargueret:

Virtutum, quas hactenus enumeravimus,  
optima ea virtus, quae potissimum debet esse  
sacri Principis ornamentum & decus, Religio  
scilicet, fuit mater & nutritrix. Vellem hic ades-  
sent viri sanctitatis emeritae, flos omnis cenobio-  
rum, Religionis praclarissima lumina; ob-  
spicerent, sine, dum vivis civibus districti  
negociis, scilicet Aula venfasti namque pietatem  
audient, quae rara etiam in Assecteris reperitur.  
Mors erat huius Purpurato summo mane nullo  
adhibito ad vestendum senile corpusculum cu-  
biculario è stratis exurgente, & post ignem è  
filice exclusum duas integras horas in caelestium  
rerum contemplationem insumere; sacris ope-  
rari quotidie; divinae p[er] illa modica pensum ser-  
vato temporum ordine Deo reddere genibus  
fle-

## X L I I .

flexis : imò pridie quàm excessit è vita , nec rem diuinam facere omisit , & prolixiores diei Domini psalmos & preces , non sine ingenti conatu languentium virium , & prostrati corporis molestia recitauit . Ter in hebdomada confessione animum expiabat . Urbis Basilicas præcipuè Vaticanam , & Liberianam frequentissimè obibat . Nulla vnquam ruris oblectatione animum recreauit , nullo salubrioris cæli haustu refouit : sed quo tempore vacuus esse potuit à negotijs publicis , ad scandendos , quos Christus olim suis vestigijs consecrauit , scalarum gradus , vel ad obscunda templa se contulit . Hæc eius erat rusticatio . Apud Exquilinam Virginem , & Apostolorum sepulchra iucundiores sibi Tusculani ac Tyburini ruris amœnitate delicias reperiebat . Vidimus in administratione diuini corporis , quod generatim cuiusque mensis ultimo die Dominico distribuitur , plurimum horarum spatio persistentem . Vidimus in hoc Templo inter pias exercitationes , quæ pro felici morte diuinitus impetranda salubriter sunt institutæ , pronolutum in genua , & precationibus inhaerentem , quamuis calculi doloribus adeo torqueretur , vt proximè adstantes Purpuratos ad commiserationem induceret . Processit eius pietas  
ad

## X L V I I

ad voluntarios corporis cruciatus. Nam etiam in ultima senectute non contentus doloribus, quos morbi afferebant, flagris in se ferreis animaduertere, setis cilicinis pectus, & pungentibus catenularum aculeis exagitare latora consuevit. Quam acriter in sua membra saeuierit, testantur recentes vulnorum cicatrices in defuncti cadauere inuentæ; testatur cuiusdam ex eius domesticis trepidatio repentina, quem in superiori cubiculo dormientem pia domini supplicia vehementi crepantium plagarum sonitu è somno excitarunt, atque improvise metu perculerunt. His afflictationibus corporis præter consuetam frugalitatem adiunxit frequentem inediam. Nam & in peruigilijs Deiparæ Virginis esu modici panis, & aquæ potu ieiunium tolerabat; & septimam cuiusque hebdomadæ feriam transigebat seuera cibi abstinentia. Quadragesimali vero ieiunio nunquam se, nè postremis quidem vitæ temporibus, quamuis valetudinarius senex eximere voluit; si paucos demas dies, quibus graui morbo implicitus lecto decubuit. Quod omnem admirationem excedit, in ultima ægrotatione, cum dies vnus, aut alter vitæ superesset, extractum è carne liquorem attingere non est ausus, ne Sabbati iura violaret.

Sa-

## LXIV.

Satis vt arbitror demonstrauius huic Principi purpurato Admirabilis appellationē optimo iure congruere. Certè infantia diuinis rebus adiecta; hos adolescentiæ morsu voluptatis intactus; virilis ætas sine ambitione transacta; senectus inter morborum conflictationes virida & alacris; vita omnis vacua vitijs, cumulata virtutibus; in sublimi, honoris gradu modestia singularis; prudentiæ cum sinceritate, feueritatis cum mansuetudine, parsimoniæ cum liberalitate mira coniunctio; priuati lucri contemptus; publicæ vtilitatis cura perpetua; summa in rebus omnibus diligentia; maxima in prosperis moderatio, æquanimitas in aduersis; par in agēdo fortiter, atque in tolerando constantia; pietas & religio impensissimo studio culta & exercitata; ad hæc Purpuratorum & Præfulum testimonia, summorum Pontificum iudicia, vrbium plausus, acclamatio populorum Virum hunc omni ex parte admirabilem prædicant. Eius ergo immortalia decora ætas nostra suspiciet, commédabunt posterī, oratorum linguæ, scriptorum calami celebrabunt. Franciotti nomen Romæ faustissimum, sacræ purpuræ honorificū fama circumferet. Romana vero semper Ecclesia Cardinalis de se optimè meriti iucundissimam sibi memoriam exosculabitur.